

mani. De quibus omnibus inter alios late tractat Emman. Rodericus, cit. t. I, *Quæst. regul. q. 65, per viginti articulos.*

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

1. *Ratio continuationis titulorum.* — Quandoquidem officium legati partim convenit cum officio delegati, cum uterque gerat vices superioris; partim cum officio ordinarii, cum etiam illius officium sit ordinarium: hinc merito præsens rubrica interponitur inter præcedentem, et subsequentem Titulum. Unde

2. *Legati unde sic dicantur? Oratores, seu ambassiatores, qui?* — Quæritur I. Legati generatim unde, et qui dicantur? Resp. I. *Legati*, ex eo nomen trahunt, quia ut publice mittantur, leguntur, indeque legantur, seu ablegantur. Atque generatim loquendo, istud fit dupliciter: nam aliqui legantur, seu mittuntur a principe, vel republica, ut nuntii, ad referendum videlicet mandata sui principalis, sicque ad exercendum nudum ministerium absque alia jurisdictione. Et tales alio nomine vocantur *Oratores*, vulgo *Ambassiatores*. Atque hi, sive sint amicorum, sive hostium, jure gentium ab injuriis immunes sunt servandi; hoc est, ut veniant, et redeant inviolati, etiamsi perferant atrociam, can. *Jus gentium*, dist. 1.

3. *Legati iudices qui?* — Alii econtra sunt *Legati iudices*, seu qui mittuntur, atque legantur cum jurisdictione ad gubernandam, v. g. certam provinciam loco sui principalis. Et tales, loquendo de jure civili, sunt, legatus proconsulis, et legatus præsidis, de quibus extant proprii tituli, lib. I *Digestorum*, fitque mentio in cap. 1, h. t. in 6, ubi etiam tales legati reputantur ordinarii, atque officium ipsorum ordinarium; prout amplius declarat Glossa ibid. *ŷ. Reputantes*. Verum impresentiarum sermo nobis est dumtaxat de legatis Sedis Apostolicæ: et de his loquendo,

4. *Legati apostolici alii sunt iudices, alii non.* — Quæritur II. Quotuplex sit legatus Apostolicus? Resp. I. Generatim de istis loquendo, imprimis alii sunt *Legati nuntii*, et non iudices: ut illi, quos sæpe Papa

mittit pro aliqua ambassada, vel ad aliquod nudum ministerium exercendum. Alii vero sunt *Legati iudices*, quos nempe Papa mittens facit ordinarios in certa provincia; prout explicat Abbas ad Rubric. h. t. simulque liquere valet ex proxime dictis. Et de his posterioribus tractat præsens titulus, non de prioribus.

5. *Legatus Papæ in quo differat ab ejus delegato?* — Additur notanter « in certa Provincia. » Per hoc siquidem differt legatus Papæ ab ejus delegato: nam delegatus Pontificis dicitur ille, cui una tantum, vel certæ dumtaxat causæ committuntur terminandæ, de quo proinde procedunt dicta tit. præced. Econtra legato competit auctoritas cognoscendi de omnibus causis commissæ sibi provinciæ, tanquam judici ordinario: unde longe major est potestas legati, quam delegati Apostolici. Zoesius, h. t. n. 2.

6. *Legati iudices Sedis Apostolicæ sunt in triplici differentia.* — Resp. II. Legati iudices Sedis Apostolicæ, seu quibus a Summo Pontifice civitas aliqua, vel provincia cum ordinaria potestate committitur gubernanda, sunt in triplici differentia: videlicet legati a latere, legati, missi, seu nuntii Apostolici, et legati nati. Ita communis; atque desumitur ex cap. 1, et c. *Excommunicati*, 9, h. t. et cap. 1, juncta Glossa *ŷ. Legati*, eod. in 6. In quo priori loco fit mentio de legato nato; in altero autem de legato a latere, ac misso, et in tertio de omnibus tribus simul; hoc est, tam de legatis a Papa missis, sive sint de latere, sive non, quam de illis, « qui suarum prætextu Ecclesiarum legationis sibi vendicant dignitatem, » ut sunt legati nati. Et quidem

7. *Legati a latere, qui, et unde sic dicantur?* — *Legati a latere* dicuntur soli cardinales, missi a Summo Pontifice ad obeundum alicubi legationis officium. Et dicuntur, a *Latere*: tum quia cardinales S. R. Ecclesiæ ad latus Pontificis assistunt, ac proin, quando mittuntur, recte vocantur *Legati a Latere*; tum quia Papa et cardinales unum corpus mysticum faciunt, cujus caput est Papa, et membra ejus sunt cardinales, arg. can. *Si quis militibus*, 6, q. 1, ibi: « Nam et ipsi pars corporis nostri sunt. » Unde solis cardinalibus hoc nomen proprie competit, non autem archiepiscopis, episcopis, vel capellanis, in curia Papæ existentibus, et ab ipso missis, ut notat Glossa in c. *Excommunicatis*, *ŷ. Commissam*, h. t.

8. *Legati missi, seu nuntii Apostolici, qui, et a quo constituantur?* — *Legati missi*, seu *Nuntii Apostolici*, dicuntur qui non sunt cardinales, tamen a Papa mittuntur ad aliquam provinciam, vel etiam plures provincias, ut ibi munus legationis obeant. Et tales singillatim constituuntur a Summo Pontifice, communiter tamen prævio consilio cardinalium, arg. c. *Novit. De his quæ fiunt a prælat.*: quamvis etiam sine hoc, ac pro suo arbitrio possit Pontifex cuiquam, quem idoneum judicaverit, officium legationis committere. Vallensis, h. t. § 1, n. 3.

9. *Et quales ad id muneris deputari soleant?* — Licet autem quicumque clerici possint a Papa constitui tales legati, seu nuntii Apostolici; prout liquet in sancto Francisco Xaverio, cum nuntii Apostolici potestate in Indias destinato, et pluribus aliis ex diversis ordinibus ad munus nuntii Apostolici assumptis: ordinarie tamen non nisi prælati, in quibus est Spiritus Dei, ac scientia legis, ad id muneris deputantur, arg. can. *Si ergo*, § fin. 8, q. 1. Siquidem hoc ipsum tendit in debitum respectum, majoremque reverentiam sanctæ Sedis apostolicæ: nam, ubi Papa præsens esse non potest, per eum, qui mittitur, ejus repræsentatur auctoritas, can. *Valde*, dist. 94.

10. *Legati nati, qui et cur sic appellantur? Enumerantur horum aliqui.* — *Legati nati* dicuntur ii, quorum dignitati, quam in Ecclesia obtinent, munus legationis est annexum. Ideoque *Nati* dicuntur, quia simul atque ad talem dignitatem assumuntur, una etiam fiunt, ac veluti nascuntur *Legati apostolici*, utpote ejus munus suæ dignitati annexum habent. Talis legatus natus in Anglia est archiepiscopus Cantuariensis, de quo fit mentio in cap. 1, h. t. et archiepiscopus Eboracensis, cap. 1, de *Appellat.* In Gallia archiepiscopus Rhemensis c. *Per venerabilem*, 13, § *Verum. Qui filii sunt legit.* In Italia Pisanus, in Hispania Toletanus, in Germania Salisburgensis, in Bohemia Pragensis archiepiscopus, et alii alibi, de quibus Azorius part. II, lib. V, cap. xxvii, quæst. 1.

11. *Omnes legati Sedis Apostolicæ habent jurisdictionem ordinariam.* — Quæritur III. Quale sit officium, atque potestas communis omnibus legatis Apostolicis? Resp. I. Quivis legatus Sedis Apostolicæ respectu provinciæ sibi commissæ habet jurisdictionem ordinariam; unde hæc, ipsiusque officium per mortem Papæ legantis non expirat, tametsi

jurisdictione nondum uti cœperit, imo provinciam suam necdum ingressus fuerit. Ita desumitur ex c. *Legatos*, 2, juncta Glossa, *ŷ. Declaramus*, h. t. in 6, ac tradit Layman ibid. n. 1, et alii.

12. *Legati a latere habent se ad instar proconsulum, cæteri ad instar præsidum.* — Ratio est: quia legati Papæ ad aliquam provinciam destinati, habent se ad instar proconsulum, cæterumque præsidum, qui ab Imperatore ad regendam certam provinciam mittuntur, per textum in cit. c. *Legatos*. Atqui proconsules (quibus æquiparantur legati a latere) ac præsides (quibus cæteri legati Sedis Apostolicæ comparantur, juxta Glossam in d. c. *Legatos*, *ŷ. Proconsulum*), habent jurisdictionem ordinariam; ut L. IV, et seqq. ff. de *Offic. proconsul.* et L. III, et seqq. de *Offic. præsid.*; ergo idem dicendum de legatis pontificiis. Accedit, quod legatus Papæ sit, ac esse dicatur legatus Sedis Apostolicæ; ut c. *Dilectus*, 6, et cap. ult. h. t. et alibi passim. Ergo cum ipsa Sedes Apostolica nunquam moriatur, c. *Si gratiose*, 5, de *Rescript.* in 6, haud mirum, quod per obitum Papæ legantis, non expiret officium legati sui.

13. *Nomine legatorum Sedis Apostolicæ, veniunt quicumque legati ejusdem.* — Additur notanter, « Quivis legatus Sedis Apostolicæ, » etc. Nam, quod in provinciis sibi demandatis habeant jurisdictionem ordinariam, convenit omnibus tribus legatorum speciebus proxime enumeratis. Nomine enim *Legatorum Sedis Apostolicæ* simpliciter posito, ac nisi aliunde pateat differentia, veniunt quicumque legati ejusdem; ut cit. Glossa in c. *Statutum*, *ŷ. Legatorum, de Rescript.* in 6, et c. *Privilegium*, *ŷ. Legato, de Verb. signif.* in 6; Abbas, cap. ult. num. 1, h. t.; Vallensis, ibid. § 2, n. 1 et 3.

14. *Officium omnium legatorum, quod?* — Resp. II. Officium omnium dictorum legatorum generatim loquendo est, ut in provinciis sibi commissis nomine Domini Papæ, cujus vices gerunt, *evellani et dissipent vitia: ædificent, et plantent virtutes.* Textus est in cit. c. *Legatos*, juncta Glossa ibidem: et concordat cap. 1, de *Offic. ordinari.* Unde ad ipsorum officium pertinet, supremam quoad spiritalia, atque ecclesiastica negotia inspectionem ibidem habere, principes et populos in fide catholica, et debita sanctæ Sedi Apostolicæ obedientia et reverentia conservare, constitutiones pontificias in usum de-

dicere, aut quominus juxta statum provinciarum hoc fieri possit, Summum Pontificem informare, aliaque utilitatem Ecclesie concernentia ad eundem referre; prout olim, in simili, seu quantum ad regimen politicae Romani imperii attinebat, etiam fecerunt proconsules, ac praesides provinciarum quibus quoad ecclesiastica aequiparantur legati pontificii, ut dictum, Engel, h. t. n. 3.

15. *Possunt idem condere statuta perpetua.* — Resp. III. Rursus omnibus Papae legatis commune est, quod in provinciis sibi commissis circa ea, quae vitiorum correctionem, disciplinam ecclesiasticam stabiliendam, et alia hujusmodi ad ipsorum jurisdictionem pertinentia concernant, valeant statuta condere, quae sint perpetua, ac vim obligandi habeant etiam finito suae legationis officio. Textus est in cap. ult. h. t. qui cum non distinguat inter legatos a latere, missos, sive natos, generaliter est intelligendus de omnibus; ut praeter Glossam, n. 43, citatam, notat Abbas, ibid. n. 4. Idque adeo verum est, ut legatus Papae in spectantibus ad suam jurisdictionem, possit etiam solus facere statuta perpetua duratura; atque, si ita expedire judicaverit, antiqua revocare; dummodo tamen nihil statuatur contra sacros canones generales: his enim nequit legatus derogare, cum inferior non possit tollere legem superioris, can. *Inferior.*, dist. 21. et dummodo nihil statuatur in concernentibus aliorum praedictum, seu negotium: quia tunc debet haberi eorum consensus, prout limitat Innocentius, et Abbas in cit. cap. ult. h. t.

16. *Et causas suorum provincialium audire, ac terminare.* — Resp. IV. Insuper ad officium quorumvis legatorum Sedis Apostolicae pertinet, causas suarum provincialium, sive per appellationem ad ipsos devolvantur, sive etiam (spectato jure antiquo) in prima instantia, ac per viam simplicis querelae ad eos deferantur, audire, et cognoscere, ac debito fine terminare. Ita liquet ex cap. 1, h. t. ac notat Glossa, ibid. §. *Legationis*, et Abbas, n. 3, citans doctores communiter. Ratio est: quia legati Papae ad instar proconsulum, et praesidum, sunt ordinarii iudices in suis provinciis; ita ut concurrant cum episcopo, et quocumque alio ordinario loci in omnibus causis subditorum: atqui, ubi plures concurrunt ordinarii, optio est actoris, ut eligat quem maluerit, juxta Glossam communiter receptam in c. *Dilecti*. §. *Ubi domicilium. de Foro compet.*; ergo idem dicendum in proposito.

17. *Etiam per simplicem querelam ad ipsos delatam.* — Unde in cit. cap. 1, h. t. definitur, quod, licet archiepiscopus Cantuariensis, qui simul erat legatus natus, jure metropolitico, seu quatenus archiepiscopus, non potuerit audire causas eorum, qui de episcopatibus suffraganeorum suorum advenerant, nisi per appellationem deferrentur ad ipsum: tamen *Legationis intuitu*, seu ut legatus Papae, potuerit ac debuerit audire omnes ipsorum causas, non solum per appellationem, sed etiam per simplicem querelam ad ipsum delatas, « sicut qui in provincia sua vices nostras gerere comprobatur: » prout rationem praemissorum reddiurus, subjungit Pontifex ibidem.

18. *Hoc ultimum tamen in concilio Tridentino est correctum; ubi et de hujus nova dispositione.* — Et haec procedunt spectato jure antiquo, prout in data conclusione recte limitatur. Siquidem jure novo concilii Tridentini, sess. 24, cap. xx, de *Reform.* praefata potestas legatorum nonnihil limitata fuit, statuendo inter alia, quod omnes causae ecclesiasticae in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur: et ad iudicem superiorem, ut puta legatum Papae, nullus recurrere possit, nisi ordinarius loci intra biennium, a die motae litis numerandum, causam terminare neglexerit; vel nisi a sententia definitiva, vel vim definitivae habente, ad eundem legatum appellaverit: prout amplius liquet ex textu cit. cap. xx, junctis illis, quae circa ipsum appellationis processum observanda decrevit idem concilium Tridentinum, sess. 13, cap. III, et sess. 22, cap. VII, de *Reform.*

19. *Legati nequeunt se intromittere causas per Papam specialiter alteri delegatis.* — Limitatur quoque data conclusio in causis illis, quae per Papam specialiter cuipiam alteri delegantur. Quia enim tunc mandatum speciale derogat generali; hinc causis illis legatus sese intromittere nullatenus potest. Textus, et doctores in c. *Studuisti*, 2. h. t.

20. *Possunt idem causas delegare.* — Resp. V. Ulterius quilibet legatus Sedis Apostolicae possunt causas ad se pertinentes aliis delegare: ita tamen, ut horum jurisdictio re integra, seu nisi ipsa per citationem partium jam praemissam fuerit perpetuata, expiret una cum legati officio, seu finita hujus legatione. Textus est in cit. cap. ult., h. t., et ibi Abbas, et doctores communiter.

21. *Si quis eorum est legatus in pluribus locis,*

potest negotia unius loci in alio expedire. — Resp. VI. Conveniunt quoque omnes legati Papae in eo, quod si quis ipsorum fuerit legatus in pluribus locis, seu provinciis, possit in quacumque parte legationis existens jurisdictionem suam exercere: adeo, quod negotia unius loci possit in alio explicare, ac terminare. Ita desumitur ex c. *Novit*, 7, h. t.; ac tradit Abbas, ibid., in *Summario*, et communis; atque sequitur Vallensis, h. t. § 2, n. 3, ac Pirhing, eod., n. 34, istud cum aliis intelligentes de causis tum voluntariae, tum contentiosae jurisdictionis.

22. *Non tamen debet partes invitas extra suam provinciam trahere in aliam ad iudicium.* — Verumtamen legatus ad plures provincias destinatus non debet partes invitas extra suam provinciam, in qua commoratur, ad iudicium trahere in aliam: hoc enim, ne partes nimium fatigentur laboribus, et expensis, jura vetant, can. *Neminem*, 3. q. 6, et notat Abbas, d. c. *Novit*, n. 2, h. t. quamvis contrarium teneat Vallensis, cit. n. 3. Igitur in tali casu legatus ejusmodi vel poterit causam alteri delegare; ut cap. ult. h. t.; vel in altera provincia vicarium loco sui constituat, sicut episcopus: nam etiam proconsules ac praesides provinciarum, quibus aequiparantur legati Sedis Apostolicae, olim vicarios constituere poterant; ut patet ex l. *Observare*, § fin. et l. *Meminisse*, ac seqq. ff. de *Offic. proconsul*; Pirhing, cit., n. 34.

23. *Nullus ipsorum, inconsulto Pontifice, potest tractare majores Ecclesiae causas.* — Resp. VII. In eo etiam conveniunt legati Sedis Apostolicae, quod nullus ipsorum, ne quidem legatus cardinalis, possit inconsulto Pontifice tractare majores Ecclesiae causas, ac Papae specialiter reservatas. Ita certa, et communis. Sic legatus etiam a latere, ex generali commissione legationis, non potest transferre episcopum ab una Ecclesia ad aliam, c. *Nisi specialis*, 3, h. t. Neque potest unam Ecclesiam cathedralem subjicere alteri, nec duos episcopatus unire, neque unum dividere absque speciali licentia Papae, c. *Quod translationem*, 4. h. t., cum similibus casibus, qui in signum privilegii singularis sunt tantum Summo Pontifici reservati, atque a Glossa magna in cit. c. *Quod translationem*, enumerantur.

24. *Sunt devote recipiendi, honorifice tractandi, ac in suis necessitatibus adjuvandi, etc.* — Resp. VIII. Tandem, ut nonnulla alia

faceantur, conveniunt omnes legati Sedis apostolicae in hoc, quod ubi constiterit de eorum legatione, et adventu, illi devote sint recipiendi, tractandi, et honorandi, veluti vices ipsius Summi Pontificis tunc gerentes, can. 1 et 2, dist. 94. Ac, quod eisdem praestentur debitae procuraciones; adeo, ut his illo tempore, etiam immemoriali, praescribi non possit, c. *Accedentes*, 41 de *Prascript.* Atque insuper ineundo, et redeundo, per ordinarios locorum, ubi transeunt, honorifice tractentur, et in suis necessitatibus adjuventur; prout sese facturos singuli episcopi in sua consecratione jurant, c. *Ego*, n. 4, de *Jurejurand.* juncto pontificali Romano, tit. de *Consecratione electi in episcopum*. Quod si qui secus facere, ac legatos Apostolicos non admittere, seu in officio legationis impedire praesumpserint, ipso facto excommunicationem incurrunt, et eorum terrae ecclesiastico interdicto subjiciuntur, donec resipiscant. Extravag. *Super gentes. de Consuetud.* inter communes.

25. *Legati a latere habent plura specialia. Possunt in sua provincia, quidquid potest episcopus in sua dioecesi.* — Quaeritur IV. Quae sint specialia in legatis a latere? Resp. I. Cum legatus a latere nonnisi cardinalis existat, hinc ipse, sicut excellentia dignitatis, ita etiam potestatis praerogativa caeteris multum eminet. Et quidem imprimis legatus a latere potest in sua provincia, quidquid de jure, vel consuetudine possunt episcopi in sua dioecesi, alique praelati intra eandem provinciam existentes in propriis territoriis: ipse enim est ordinarius in illa provincia, et quidem gerens vices Domini Papae. Speculator tit. de *Legato*. § *Nunc ostendendum*, n. 14; Nicol. Garcias, de *Beneficiis*, part. I, cap. v, n. 283; Barbosa, lib. I. *Jur. eccles. univ.*, cap. v, n. 24; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.* disp. 9, n. 23, et alii.

26. *Præsente legato a latere, caeteri legati deponunt sua insignia, ac suspenditur exercitium potestatis ipsorum.* — Deinde, praesente cardinale a latere, reliqui legati debent insignia suae legationis deponere; hoc est, non possunt ea deferre, nec officium, ac potestatem legationis (absque speciali ejus commissione) sive quoad jurisdictionem contentiosam, sive quoad voluntariam, tunc exercere: atque ideo, quamdiu legatus cardinalis praesens est, licet caeterorum potestas non expiret, ea tamen quoad exercitium suspenditur, per textum, et doctores in c. *Volentes*, 8,